



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *NEPALIANA* *MISSIO SUI IURIS NEPALIANA
AD PRAEFECTURAE
APOSTOLICAE DIGNITATEM ATTOLLITUR

Cuncta disponere solemus atque sollicitam curam adhibere ut Evangelii nuntius et Domini salutaria beneficia omnia loca contingant et quam efficacissime vel ad longinquos populos perveniant. Nunc gens versatur ob oculos Nostros quae in Nepalia commoratur, cui omnibus ex partibus opportuna subsidia commodare properamus. Inibi enim Societatis Iesu sodales laudabiliter operantur multumque adlaborant, veritatis semen sparsuri, atque huius industriae conspiciuntur iam haud mediocres fructus. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audito favorabili quorum interest suffragio, Praefecturam Apostolicam *Nepalianam* condimus, provinciae ecclesasticae Ranchiensi aggregandam, et eam curis demandamus fidenter Societatis Iesu. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur, Archiepiscopum titulo Sestensem itemque in Nepalia Apostolicum Pronuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die octavo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri undevicesimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 5, p. 269

© Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana